

Mores barbarorum.

1127. Satarchae auri et argenti, maximarum pestium¹, ignari vice rerum commercia exercent. Atque ob saevum hiemis² admodum assiduae, demersis in humum sedibus, specus habitant totum bracati corpus³; et, nisi qua vident, etiam ora vestiti. Tauri, Iphigeniae adventu maxime memorati, immanes sunt moribus immanemque famam habent solere pro victimis advenas caedere.

1128. Vagi nomades pecorum pabula sequuntur atque, ut illa durant, ita diu statam sedem agunt. Colunt Georgi exercentque agros. Axiacae furari quid sit ignorant; ideoque nec sua custodiunt nec aliena contingunt. Interius habitantium ritus asperior, et incultior regio est. Bella caedesque amant; mosque est bellantibus cruorem ejus, quem primum interemerunt, ipsis e vulneribus ebibere. Ut quisque plures interemit, ita apud eos habetur eximius. Inter epulas quot quisque interfecerit referre laetissima mentio est, binisque poculis, qui plurimos retulerunt, perpotant. (POMP. MELA.)

Pyrrhus hostem laudat.

1129. Pyrrhus captivos Romanos summo honore habuit; occisos etiam sepelivit, quos quum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos jacere cerneret, manus ad coelum tulisse dicitur cum hac voce: «Ego talibus viris brevi orbem terrae subegissem». Deinde ad urbem contendenti obviam venit Laevinus cum novo exercitu: quo viso, rex ait sibi eandem adversus Romanos esse fortunam, quam⁴ Herculi adversus Hydram; cui tot capita renascebantur, quot praecisa fuerant. Mox in Campaniam se recepit missosque a senatu de⁵ redimendis captivis legatos honorifice excepit. Captivos sine pretio reddidit, ut Romani, cognita jam ejus virtute, cogno-

¹ Vide n. 1. ² Vide n. 35, a. ³ Vide n. 232, c. ⁴ Vide n. 68, b.
⁵ Vide n. 33, c.

scerent etiam liberalitatem. Erat videlicet Pyrrho, utpote magno et forti viro, mitis ac placabilis animus; solet enim magni animi comes esse clementia. (APUD LHOM.)

CAPUT TERTIUM.**THEMATA TERTII GRADUS.****Hannibal transit Alpes.**

1130. Ventum¹ est ad angustiore rupem atque ita rectis saxis, ut aegre expeditus miles tentabundus² manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset. Natura locus jam ante praeceps recenti lapsu terrae in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat.

1131. Hic quum velut ad finem viae equites constitissent, miranti³ Hannibali, quae res moraretur agmen, nunciatur rupem inviam esse. Digresso⁴ deinde ipsi ad locum visendum, haud dubia res visa est, quin⁵ per invia, quamvis longo ambitu, circumducendum agmen esset. Ea vero via insuperabilis fuit. Nam quum tot hominum jumentorumque incessu dilapsa nix esset, quae super glaciem deciderat, per fluentem tabem liquescentis nivis ingrediebantur.

1132. Tetra luctatio ibi fuit; nam, lubrica glacie non recipiente⁶ vestigium et in prono citius pedes fallente, corruebant, seu manibus in assurgendo seu genu se adjuvissent; atque in levi glacie tabidaque nive volutabantur. Jumenta vero secabant pedibus glaciem, prolapsaque, jactandis⁷ gravius in connitendo unguis, penitus perfringebant, ut⁸ pleraque capta velut pedica haerent in alte concreta glacie.

1133. Tandem, fatigatis hominibus et jumentis, castra in jugo posita sunt, aegerrime ad id ipsum loco purgato. Inde ad rupem muniendam, per quam unam via esse poterat, milites ducti. Quumque caedenda esset rupes, arboribus circa

¹ Vide n. 249, a. ² Vide n. 137, a. ³ Vide n. 306, a. ⁴ Vide n. 307.
⁵ Vide n. 212, b. ⁶ Vide n. 375, b. ⁷ Vide n. 383, c. ⁸ Vide n. 386.

immanibus dejectis, struem ingentem lignorum faciunt eamque succendunt ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Ita torridam incendio rupem ferro pandunt molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solum, sed elephantum etiam deduci possent. Hoc maxime modo in Italiam perventum¹ est quinto mense post profectionem a Carthagine nova, ut quidam auctores sunt. (LIV.)

Sallustius contra Ciceronem.

1134. Graviter maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem iudicio magis quam morbo animi petulantia ista uti; sed, quia modum in loquendo servare nullum potes, respondebo tibi, ut, quam maledicendo voluptatem cepisti, eam male audiendo amittas.

1135. Sic te arroganter jactas, quasi facta tua obscura essent. An est qui ignoret te ita a pueritia vixisse, ut nihil flagitiosum putares esse tibi? Quid, istam immoderatam eloquentiam nonne apud Pisonem pudicitiae jactura didicisti? Ita minime mirandum est, si² eam flagitiose venditas, quam turpissime parasti.

1136. Verum, opinor³, splendor domesticus tibi animos attollit: uxor sacrilega ac perjuriis delibuta; filia inverecunda; domus ipsa rapinis parata. Tamen se Cicero in concilio deorum ait fuisse indeque missum huic urbi civibusque custodem. Quasi vero non illius conjurationis causa fuerit consulatus tuus, et idcirco respublica disjecta sit eo tempore, quia te custodem habebat.

1137. Sed, credo, illa te magis extollunt, quae post consulatum cum Terentia uxore de republica consuluisti; cum tibi alius Tusculanam, alius Pompejanam villam aedificabat, alius domum emebat; qui vero nihil poterat, is aut domum tuam oppugnatum⁴ venerat aut insidias senatui fecerat; denique de ejus scelere tibi compertum erat. Quae si tibi falsa objicio, redde rationem, quantum patrimonii⁵ acceperis, quid tibi litibus

¹ Vide n. 249, a. ² Vide n. 346, d. ³ Vide n. 324. ⁴ Vide n. 356, a.

⁵ Vide n. 35, a.

acceverit, qua ex pecunia domum pararis; quo sumptu Tusculanum et Pompejanum aedificaris. Aut si retices, cui dubium esse potest, quin¹ opulentiam istam ex sanguine civium pararis?

1138. Verum scilicet homo novus, Arpinas ex C. Marii familia, ejus virtutem imitatur; contemnit similitudines hominum nobilium; populi Romani curam habet; neque terrore neque gratia commovetur. Imo vero homo nequam, supplex inimicis, amicis contumeliosus, fidus nemini, levissimus senator, mercenarius patronus; cujus nulla pars corporis a turpitudine vacat, lingua vana, manus rapacissimae, gula immensa, pedes fugaces.

1139. Atque is tamen audet dicere: «o fortunatam natam, me consule, Romam». Te consule, fortunatam Romam?² imo vero infelicem et miseram, quae crudelissimam proscriptionem civium perpessa est; cum tu, perturbata republica, metu percussos bonos parere crudelitati tuae cogebas; cum omnia judicia, omnes leges in tua libidine erant; cum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, omnium nostrum³ vitae necisque potestatem ad te unum revocaveras.

1140. Et quasi parum esset, quod impune fecisti, etiam commemorando exprobras, dum «cedant, inquis, arma togae; concedat laurea linguae». Quasi vero togatus et non armatus ea, quae gloriaris, confeceris; atque inter te Sullamque dictatorem, praeter nomen imperii, quidquam interfuerit. Sed quid ego te audeam violare, quem Minerva bonas artes edocuit, Jupiter optimus maximus in consilium deorum admisit, Italia exsulem humeris suis deportavit?

1141. Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paulos, Fabios, Scipiones superasti, quas tandem partes sequeris? quem amicum, quem inimicum habes? Cur, cui⁴ in civitate fecisti insidias, modo ancillaris? Cur, quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiae faves? Cur, qui tibi ante optimates videbantur, eos nunc furiosos vocas? Vatinii causam agis; de Sextio male existimas; Bibulum petulanter laedis;

¹ Vide n. 212, c. ² Vide n. 314, c. ³ Vide n. 64, a. ⁴ Vide n. 301, b.

laudas Caesarem, quem maxime odisti; aliud stans, aliud sedens de republica sentis; his maledicis, illos odisti, levissime transfuga; neque in hac neque in illa parte fidem habes.

(SALL.)

Iratus dictator magistro equitum.

1142. Papirius dictator a pullario admonitus Fabio magistro equitum denunciavit, ut sese loco teneret neu, se absente, cum hoste manum consereret. Fabius, occasione bene gerendae¹ rei inductus, acie cum Samnitibus confligit; eaque² pugnae fortuna fuit, ut viginti millia hostium eo die caesa tradantur. Id factum dictator sic aegre tulit, ut, laetis aliis victoria parta, prae se ferret iram tristitiamque.

1143. Misso itaque repente senatu, se ex curia proripuit dictitans non Samnitium magis legiones quam majestatem dictatoriam a magistro equitum eversam, si illi impune spretum imperium fuisset. Itaque plenus minarum profectus in castra, quum maximis itineribus isset, non tamen praevenire famam adventus sui potuit. Praecurrerant enim ab urbe, qui³ nuntiarent dictatorem avidum poenae venire, alternis fere verbis T. Manlii factum laudantem.

1144. Fabius, concione extemplo advocata, obtestatus milites est, ut, qua virtute rempublicam ab infestis hostibus defendissent⁴, eadem se, cujus ductu vicissent⁴, ab impotenti crudelitate dictatoris tutarentur. Venire⁵ amentem invidia, iratum virtuti alienae; furere, quod, se absente, respublica egregie gesta esset; malle, si mutare fortunam posset, apud Samnites quam apud Romanos victoriam esse. Imperium dictitare spretum, quasi non eadem mente pugnari vetuerit, qua pugnatum doleat. Quid illum facturum fuisse, adversa pugna, qui, victis hostibus, supplicium magistro equitum minetur? Si se simul cum gloria rei gestae exstinxisset, quidquid licuerit in magistro equitum, in militibus ausurum. Proinde

¹ Vide n. 127, b. ² Vide n. 387. ³ Vide n. 352. ⁴ Vide n. 258, a.

⁵ Vide n. 314, b.

adessent in sua causa omnium libertati. Postremo se vitam fortunasque suas illorum fidei virtutisque permittere.

1145. Clamor e tota concione ortus, uti bonum animum haberet: neminem illi vim allaturum, salvis legionibus Romanis. Haud multo post dictator advenit classicoque concionem advocat. Tum silentio facto¹, praeco Q. Fabium, magistrum equitum, citavit. Qui simul² ex inferiore loco ad tribunal accessit, tum dictator, quaero, inquit, ex te, Q. Fabi, aequum censeas necne magistrum equitum dicto audientem esse dictatori? Simul illud interrogo, quae dictatori religio impedimento ad rem gerendam fuerit, num ea magister equitum solutus potuerit esse? Tu, imperio meo spreto, incertis auspiciis, turbatis religionibus, adversus morem militarem disciplinamque majorum ausus es cum hoste configere. Accede, lictor.

1146. Adversus quae singula cum respondere haud facile esset, et nunc quereretur eundem accusatorem et judicem esse, nunc purgaret se invicem atque ultro accusaret; Papirius, redintegrata ira, spoliari magistrum equitum ac virgas et secures expediri jussit. Fabius fidem militum implorans ad triarios tumultum jam in concione miscentes sese recepit. Qui prope tribunal sterant, orabant, ut parceret magistro equitum neu cum eo exercitum damnaret. Extrema concio increpabant inclementem dictatorem nec procul seditione aberant.

1147. Ne tribunal quidem satis quietum erat: legati circumstantes sellam orabant, ut rem in posterum diem differret et consilio tempus daret; satis castigatam adolescentiam Fabii esse; satis deformatam victoriam; ne Fabiae genti eam injungeret ignominiam! Quum parum precibus proficerent, intueri saevientem concionem jubebant. Irritatis militum animis, subdere ignem non esse prudentiae ejus. Postremo se jussurandum dare paratos esse non videri e republica in Q. Fabium eo tempore animadverti³.

1148. His vocibus magis acerbatus dictator jussit de tribunali descendere legatos; et, silentio nequidquam per praeconem

¹ Vide n. 379, b.

² Vide n. 159, b.

³ Vide n. 313, a.

tentato, cum prae strepitu nec dictatoris nec apparitorum ejus vox audiretur, nox velut in proelio certamini finem fecit. Magister equitum jussus postero die adesse, quum omnes affirmarent infestius Papirium exarsurum ipsa contentione exacerbatum, clam e castris Romam profugit. Cumque pater M. Fabius, qui ter dictator fuerat, maxime quereretur apud patres vim dictatoris, repente ipse dictator infensus adest Q. Fabium sequutus¹ cum expedito equitatu et prehendi magistrum equitum jubet.

1149. Quum, deprecante universo senatu, perstaret incepto immitis animus dictatoris, tum pater M. Fabius: quandoquidem, inquit, apud te nec auctoritas senatus nec aetas mea nec virtus magistri equitum a te ipso nominati valet quidquam, tribunos plebis appello et provoco ad populum; eum tibi fugienti senatus iudicium iudicem fero, qui certe unus plus quam tua dictatura potest polletque.

1150. Ex curia in concionem itur². Quo cum ascendisset dictator cum paucis et magister equitum cum agmine principum, non tam perpetua oratio quam altercatio exaudita est. Vicit aliquando strepitum vox et indignatio Fabii senis superbiam increpantis crudelitatemque Papirii. Se quoque dictatorem Romae fuisse, nec a se quemquam, ne plebis quidem, violatum; Papirium tamquam ex hostium ducibus sic ex Romano imperatore triumphum petere. Capite anquisitum ob rem male gestam de imperatore nullo ad eam diem fuisse. Quid tandem passurum filium suum, si exercitum amisisset? Quam conveniens esse propter Q. Fabium civitatem in laetitia, supplicationibus ac gratulationibus esse; eum, propter quem deum delubra pateant, arae sacrificiis fument, nudatum virgis lacerari in conspectu populi Romani? Quo id animo exercitum, qui ejus ductu vicisset, laturum?

1151. Haec simul jurgans, querens, deum hominumque fidem obtestans et complexus³ filium multis cum lacrimis agebat. Stabat a partibus Fabii senatus majestas, favor populi,

¹ Vide n. 381, a. ² Vide n. 249, a. ³ Vide n. 123.

tribunitium auxilium. Ex parte altera imperium populi Romani, disciplina rei militaris et dictatoris edictum. Manlium jactabatur posthabuisse filii caritatem publicae utilitati; nunc senes faciles diciplinae militaris eversae juventuti gratiam facere. Se tamen perstaturum in incepto; nec ei, qui adversus edictum, turbatis religionibus, pugnasset, quidquam ex justa poena remissurum. Optare se, ne potestas tribunitia, inviolata ipsa, violet intercessione sua Romanum imperium, neu populus jus dictaturae exstinguat.

1152. Stupentes tribunos liberavit onere consensus populi Romani ad preces conversus, ut sibi¹ poenam magistri equitum dictator remitteret. Tribuni quoque inclinatum rem in preces subsequuti, orare dictatorem insistunt, ut veniam errori humano, veniam adolescentiae Q. Fabii daret; satis eum poenarum dedisse². Jam ipse adolescens, jam pater M. Fabius contentionis obliti procumbere³ ad genua et iram deprecari dictatoris.

1153. Tum dictator, silentio facto, bene habet, inquit, Quirites: vicit disciplina militaris; vicit imperii majestas, quae in discrimine fuerunt. Non noxae eximitur Q. Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnavit; sed noxae⁴ damnatus donatur populo Romano et tribunitiae potestati, precarium, non justum auxilium ferenti. Vive, Q. Fabi, id facinus ausus, cujus tibi ne parens quidem, si hoc loco fuisset, quo ego sum, veniam dedisset; hic tibi dies documento⁵ sit, ut bello ac pace pati legitima imperia possis. (LIV.)

Transitus Apennini.

1154. Transeuntem⁶ Hannibalem Apenninum atrox adorta tempestas est. Vento mixtus imber quum ferretur in ipsa ora, procedere milites non sinebat et contra enitentes, vortice intortos, affligebat humi. Dein quum jam turbo spiritum intercluderet nec reciprocare animam sineret, aversi a vento

¹ Vide n. 76, a. ² Vide n. 314, b. ³ Vide n. 314, a. ⁴ Vide n. 96, b.
⁵ Vide n. 229, a. ⁶ Vide n. 375, a.

parumper milites consedere. Tum vero ingenti strepitu coelum tonare et inter horrendos fragores micare ignes.

1155. Capti auribus et oculis torpere omnes metu. Eo ipso, quo deprehensi sunt loco castra ponere necesse fuit; sed explicare tentoria non valebant, omnia rapiente¹ turbine. Et mox aqua levata vento, quum super montium juga concreta esset, tantum nivosae grandinis dejecit, ut, omnibus omissis, procumberent homines, tegminibus suis magis obruti quam tecti.

1156. Tantaque vis frigoris insequuta est, ut ex illa miserabili hominum jumentorumque strage, quum se quisque attollere vellet, diu nequiret, quia, torpentibus rigore nervis, vix flectere artus poterant. Deinde ut agitando² sese, recepere animos et raris locis ignis fieri est coeptus³, ad alienam opem quisque inops tendere. Biduum eo loco velut obsessi mansere. Multi homines et jumenta, elephantum quoque ex his, qui proelio ad Treviam superfuert, absumpti sunt. (LIV.)

Elephantum Rhodanum trajiciunt.

1157. Hannibal, ceteris copiis per otium trajectis, spernens jam Gallicos tumultus castra locat. Trajiciendi⁴ elephantum varia consilia fuisse credo. Quidam, congregatis ad ripam elephantum, tradunt ferocissimum ex iis, dum vado fugit, traxisse gregem. Ceterum magis constat ratibus trajectos. Ratem unam ducentos longam pedes a terra in amnem porrexerunt; quam, ne secunda aqua ferretur, pluribus retinaculis religatam pontis in modum humo injecta constraverunt, ut belluae audacter velut per solum ingrederentur.

1158. Altera ratis longa pedes centum huic copulata est; et cum elephantum per stabilem ratem, praegredientibus feminis, in minorem applicatam transgressi sunt, ex templo, resolutis, quibus leviter annexa erat, vinculis, ad alteram ripam ab actuariis navibus pertrahitur. Excidere saevientes quidam in flumen, sed pondere ipso stabiles, dejectis rectoribus, pedetentim in terram evasere. (LIV.)

¹ Vide n. 375, b. ² Vide n. 383, a. ³ Vide n. 318, c. ⁴ Vide n. 130, a.

Oratio Catonis, ut sontes capitum damnentur.

1159. Saepe verba in hoc ordine feci; saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum multosque mortales ea causa adversos habeo: qui¹ mihi nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius libidini malefacta condonabam. Quae tametsi vos negligebatis, tamen respublica negligentiam opulentia tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonis² an malis moribus vivamus; sed nostrane respublica an hostium futura sit. Hic mihi quisquam mansuetudinem nominat? Jam pridem vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo nominatur.

1160. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis; sint misericordes in furibus aerarii; sanguinem nostrum ne largiantur; nec, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant. Bene Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, falsa, credo, existimans, quae de inferis memorantur. Itaque censuit pecunias sontium publicandas³, ipsos per municipia habendos. Vanum equidem hoc consilium censeo, si periculum ex illis metuit; sin⁴ in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert mihi atque vobis timere.

1161. Quare, quum statuetis de iis, quos habetis in custodia, pro certo habetote vos simul de exercitu Catilinae ac de omnibus conjuratis decernere: quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit: si paululum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt. Conjuravere nobilissimi cives patriam incendere; Gallorum gentem, infestissimam nomini Romano, ad bellum arcessunt; dux hostium cum exercitu supra caput est; vos cunctamini etiam nunc, quid intra moenia, apprehensis hostibus, faciatis? Nae ista vobis mansuetudo in miseriam vertet.

¹ Vide n. 373. ² Vide n. 333, b. ³ Vide n. 339, a. ⁴ Vide n. 365.
LAPLANA, Summa syntactica. II.

1162. Inertia animi alius alium exspectantes cunctamini¹ videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maximis saepe periculis servavere. Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt: ubi secordiae te atque ignaviae tradideris, nequidquam deos implores. Apud majores nostros T. Manlius filium suum, quod is contra imperium pugnaverit, necari jussit; atque ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit: vos de crudelissimis parricidis, quid statuatis, cunctamini?

1163. Videlicet vita eorum cetera obstat, ne² sitis in puniendo vehementes. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si diis aut hominibus umquam pepercit: ignoscite Cethegi adolescentiae, nisi iterum patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Caepario oquar? quibus si quidquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de republica habuissent.

1164. Postremo circumspicite, P. C., ut undique circumventi simus. Catilina cum exercitu fauces jam nostras premit: alii intra moenia sunt hostes. Quare ita ego censeo: cum scelerati cives indicio Allobrogum convicti confessique sint caedem, incendia in cives patriamque paravisse, supplicium de iis more majorum sumendum esse. (SALL.)

Res militaris praestat juris prudentiae.

1165. Qui potest dubitari, quin³ ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis rei militaris quam juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille, ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves, ne tui consultores, ille, ne urbes aut castra capiantur. Ille tenet et scit, ut hostium copiae, tu, ut aquae pluviae arceantur; ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis.

¹ Vide n. 29, c.

² Vide n. 350, b.

Vide n. 212, c.

1166. Ac nimirum (dicendum est enim, quod sentio) rei militaris virtus praestat omnibus. Haec nomen populo Romano, haec huic urbi aeternam gloriam peperit; haec orbem terrarum parere huic imperio coëgit. Omnes urbanae res, omnia haec nostra praeclara studia et haec forensis laus et industria latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis; simul atque¹ increpuit suspicio tumultus, artes illico nostrae conticescunt. (CIC.)

Oratio Marii ad Quirites.

1167. Non me fallit, Quirites, quantum cum maximo beneficio vestro negotii sustineam: bellum parare, simul et aerario parcere; cogere ad militiam, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare, et ea agere inter avidos et factiosos opinione asperius est. Praeterea alii si deliquere, vetus nobilitas, cognatorum opes, multae clientelae praesidio² adsunt: mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est virtute defendam; nam alia infirma sunt. Et illud intelligo, Quirites, omnium ora in me conversa esse; aequos bonosque mihi favere; nobilitatem locum invadendi me quaerere: quo mihi acrius adnitendum est, ut neque³ vos capiamini et³ illi frustra sint.

1168. Bellum me gerere cum Jugurtha jussistis; quam rem nobilitas aegerrime tulit. Quaeso, reputate cum animis vestris, num quem⁴ ex illo globo nobilitatis placeat mittere ad hoc negotium, hominem veteris prosapiae, at nullius stipendii, ut in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet sumatque aliquem e populo monitorem officii. Comparete cum illorum superbia me hominem novum: quae illi audire et legere solent, ea ego aut vidi aut gessi; quae illi litteris, ego militando didici.

1169. Contemnunt novitatem meam; ego illorum ignaviam. Quodsi jure me despiciunt, faciant idem majoribus suis, quibus ut mihi, ex virtute nobilitas coepit. Invident honori meo; ergo invadeant labori, innocentiae, periculis meis, per quae⁵

¹ Vide n. 159, a.

² Vide n. 229, a.

³ Vide n. 204, f.

⁴ Vide n. 209, b.

⁵ Vide n. 20, b.

illum cepi. Verum homines superbi ita aetatem agunt, quasi vestros honores contemnant; ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Nae illi falluntur, qui diversissimas res pariter expectant, ignaviae voluptatem et praemia virtutis. Equidem non ignoro, si jam respondere velint, abunde illis facundam orationem fore; sed me quidem nulla oratio laedere potest, quippe vera, necesse est, bene praedicet; falsam vita mea revincit.

1170. Non possum fidei causa imagines majorum meorum ostentare; at, si res postulet, hastas, vexilla, phaleras, praeterea cicatrices adverso corpore. Hae sunt meae imagines, haec nobilitas non haereditate relicta, ut illa illis, sed quaesita laboribus periculisque. Non sunt composita verba mea; parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, ut facta turpia oratione tegant. Neque litteras Graecas didici; parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.

1171. Sordidum me et incultis moribus ajunt, quia parum scite convivium exorno neque pluris pretii¹ coquum quam villicum habeo: quae mihi libet confiteri; nam ex parente meo ita accepi munditias mulieribus, viris laborem convenire; arma, non supellectilem decori² esse. Quin ergo, ament, potent; ubi adolescentiam habuere, senectutem agant dediti ventri; sudorem et pulverem relinquunt nobis. Verum non ita est; nam, ubi se omnibus flagitiis dedecoravere, bonorum praemia ereptum eunt.

(SALL.)

Conjuratio de recipiendis regibus.

1172. Pulsis regibus³, erant in Romana juventute adolescentes aliquot, nec ii tenui loco orti, sodales Tarquiniorum, assueti more regio vivere. Libertatem aliorum in suam vertisse servitutem inter se querebantur. Regem hominem esse⁴, a quo impetres, quod cupias seu jure seu injuria; esse gratiae locum; leges inexorabiles esse, salubriores inopi quam potenti.

¹ Vide n. 222, c. ² Vide n. 229, a. ³ Vide n. 379, b. ⁴ Vide n. 314, b.

1173. Ita aegris animis, legati ab regibus superveniunt bona repetentes. Eorum verba postquam in senatu audita sunt, per aliquot dies ea consultatio tenuit: ne non reddita belli causa essent; reddita belli adjumentum.

1174. Interea legati adolescentium animos tentant et, a quibus placide accipiuntur, iis ab Tarquiniis de¹ recipiendis regibus litteras tradunt. Vitelliis Aquillisque fratribus primo commissa res fuit. Interim vicit in senatu sententia, quae censebat reddenda² bona, cumque eam causam morae haberent legati, quod spatium ad vehicula comparanda sumerent, quibus regum asportarent res, omne id tempus cum conjuratis consultando absumunt evincuntque, ut litterae sibi³ ad Tarquinius darentur. Datae litterae, ut pignus fidei essent, manifestum facinus fecerunt; nam, quum pridie quam⁴ legati ad Tarquinius proficiscerentur, coenatum apud Vitellios esset, conjuratique, remotis arbitris, multa inter se de novo consilio egissent, sermonem eorum unus ex servis excepit, qui, postquam datas litteras sensit, rem ad consules detulit.

1175. Consules sine tumultu rem omnem oppressere; litterarum in primis habita cura ne interciderent. Proditoribus extemplo in vincula coniectis, de legatis paulum addubitatum est; et quamquam visi sunt commisisse, ut hostium loco haberentur, jus tamen gentium valuit. De bonis regiis, quae reddi ante censuerant, res integra refertur ad patres: illi victi ira vetuere reddi aut in publicum redigi, sed plebi diripienda⁵ dari censuerunt.

(LIV.)

Oratio Catilinae in acie.

1176. Scitis, milites, secordia Lentuli quantam ipsi cladem nobisque attulerit; quoque modo, dum ex urbe praesidia operior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc quo in loco res nostrae sint, juxta⁶ mecum omnes intelligitis: exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant; diutius in

¹ Vide n. 170, d. ² Vide n. 339, a. ³ Vide n. 76, a. ⁴ Vide n. 158.
⁵ Vide n. 354, b. ⁶ Vide n. 153.

his locis esse frumenti egestas prohibet; quocumque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo, ut forti animo sitis et, quum proelium inibitis, memineritis vos divitias, gloriam, libertatem in dextris portare. Si vincimus, commeatus abunde erunt, coloniae atque municipia patebunt; sin¹ metu cesserimus, eadem illa advorsa fient; neque locus neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint.

1177. Non eadem nobis atque² illis necessitas impendet; nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; illis supervacaneum est pugnare pro potentia paucorum: quo audacius aggredimini memores pristinae virtutis; nam in fuga salutem sperare, ea³ vero dementia est; semper in proelio his maximum est periculum, qui maxime timent; audacia pro muro habetur. Quum vos considero, milites, magna me spes victoriae tenet: animus, aetas, virtus vestra hortantur; praeterea necessitas, quae etiam timidos fortes facit. Quodsi virtuti vestrae fortuna inviderit, cavete inulti animum amittatis; neu capti sicuti pecora trucidemini, sed virorum more pugnantem cruentam victoriam hostibus relinquite. (SALL.)

Hannibal petit pacem.

1178. Si ita fato datum erat, ut, qui primus bellum intuli populo Romano, quique toties prope in manibus victoriam habui, is⁴ ultro ad pacem petendam venirem; laetor te, P. Scipio, mihi sorte potissimum datum, a quo peterem. Tibi quoque inter multa egregia hoc fuerit, Hannibalem, cui de tot Romanis ducibus victoriam dii dedissent, tibi cessisse; teque huic bello, vestris prius quam nostris cladibus insigni, finem imposuisse.

1179. Optimum quidem fuerat⁵ eam patribus nostris mentem ab diis datam esse, ut et vos Italiae imperio, et nos Africae contenti essemus; neque enim vobis Sicilia atque Sardinia

¹ Vide n. 365. ² Vide n. 68, b. ³ Vide n. 13, c. ⁴ Vide n. 70.

⁵ Vide n. 258, b.

satis digna pretia sunt pro tot classibus et exercitibus amissis. Sed praeterita magis reprehendi possunt quam corrigi.

1180. Ita aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus; nec in Italia solum vobis bellum esset, sed et nobis in Africa; nam et vos in vestris prope moenibus signa armatorum hostium vidistis, et nos ab Carthagine fremitum Romanorum exaudiimus.

1181. Quod ad me attinet, jam aetas senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum, jam secundae res, jam adversae ita erudierunt, ut rationem sequi quam fortunam malim. Tuam et adolescentiam et perpetuam felicitatem, ferocia utraque¹, metuo. Non temere incerta casuum² reputat, quem fortuna numquam deceptit. Quod ego fui ad Trasimenum et ad Cannas, id tu hodie es. (LIV.)

Eloquentia Ciceronis.

1182. M. Tullius cum se ad imitationem Graecorum contulisset, effinxit vim Demosthenis, copiam Platonis, elegantiam Isocratis. Nec solum ex aliorum imitatione, sed ex se ipso felicissima ingenii ubertate plurimas virtutes extulit. Non enim pluvias, ut ait Pindarus, colligit aquas, sed vivo gurgite exundat, dono quodam providentiae genitus, in quo vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta umquam facilitas fuit in persuadendo, ut ipsa illa, quae extorquet, impetrare credatur? et cum transversum vi sua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi?

1183. Jam in omnibus, quae dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat, nec advocati³ modo studium, sed testis etiam et iudicis afferat fidem. Atque haec omnia, quae vix singula quisquam intentissimo studio consequi potest, fluunt Tullio illaborata. Quare non immerito ab hominibus aetatis suae regnare Cicero in iudiciis dictus est⁴. Apud posteros vero est consequutus, ut Cicero jam non hominis, sed eloquentiae nomen

¹ Vide n. 309, b. ² Vide n. 35, b. ³ Vide n. 222, e. ⁴ Vide n. 315, c.

habeatur. Hunc igitur spectemus; hoc propositum sit nobis exemplum. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.

(QUINT.)

Socratis de sua virtute oratio.

1184. Cum aliquis genibus per viam repens ululat aut linteatus senex medio lucernam die praeferens conclamat iratum aliquem deorum, concurritis ad audiendum¹ et divinum esse eum affirmatis. Ecce Socrates ex illo carcere, quem intrando² honestiorem curia reddidit, proclamat: Quis iste furor infamare³ virtutes et bonos malis sermonibus violare? Si exercere tetram licentiam vultis, alter alterum incessite; nam, cum in coelum insanitis, quid facitis, nisi operam perditis?⁴ Praebui ego aliquando Aristophani materiam jocorum: tota illa perditorum poetarum manus in me venenatos sales effuderunt.

1185. Illustrata est virtus mea per ea ipsa, per quae petebatur; nec ulli magis intellexerunt quanta sit, quam qui eam lacessendo senserunt. Duritia enim silicis nulli magis quam ferientibus nota est. Praebeo me non aliter quam rupes in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt, undecumque moti sunt, verberare. Assilite, facite impetum; ferendo vos vincam. In ea, quae firma et insuperabilia sunt, quidquid incurrit, malo suo vim exercet.

(SEN.)

De loco fundi.

1186. Porcius Cato censebat in emendo agro praecipue duo esse inspicienda: salubritatem coeli et ubertatem loci; quorum⁵ si alterutrum deesset, ac nihilominus incolere quis vellet, pro amente esse habendum. Neminem enim sanum facere⁶ sumptus in cultura agri sterilis aut pestilentis, qui sit mortem allaturus domino. Post haec addebat illa non minus intuenda: viam, aquam et vicinum. Multum enim conferre agris iter commodum; primum quod nihil est utilius domo

¹ Vide n. 355, d. ² Vide n. 383, a. ³ Vide n. 264, a. ⁴ Vide n. 368, a.

⁵ Vide n. 20, a. ⁶ Vide n. 314, b.

quam praesentia domini, qui libentius commeaturus sit, si vexationem viae non reformidet; deinde quod minoris¹ convehantur utensilia eo, quo facili nisu perveniatur. Nec nihil esse parvo² vehi, si conductis jumentis iter facias, quod magis expedit quam tueri propria.

1187. De bonitate aquae ita omnibus clarum est, ut pluribus non sit disserendum. Quis enim dubitat eam maxime probandam esse, sine qua nemo vitam prorogat? De vicini commodo non est in manu, quem mors aliaeque causae mutant. Sed malam facit sibi fortunam, qui nequam vicinum suis nummis parat, quum a primis cunabulis audisse potuerit: οὐδ' ἂν βοῶς ἀπόλοι τ'εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη. (COLUM.)

De aqua.

1188. Sit intra villam vel foris fons perennis, lignatio pabulumque in proximo. Si deerit fluens unda, putealis quae-ratur in vicino, quae non sit haustus³ profundi, non amari saporis aut salsi. Haec si deficiet, cisternae hominibus, piscinae pecoribus instruantur, colligaturque aqua pluvialis, quae salubritati est accommodata. Sed ea sic habetur eximia, si fictilibus tubis in contactam cisternam deducatur: huic proxima fluens aqua e montibus oriunda, si per saxa praeceps devolvitur; tertia putealis; deterrima palustris, quae pigro lapsu repit; pestilens, quae in palude semper consistit.

1189. Medici stagnantes aquas merito damnant: censent meliores, quae profluunt; cursu enim percursuque extenuari⁴ atque proficere. Qui cisternas probant, hanc afferunt causam, quod levissima sit imbrium aqua, quae subire potuerit atque pendere in aëre. Ideo et nives praeferunt imbribus et nivibus glaciem, quae sit aqua et nive multo levior.

1190. Ceterum ad aestatum temperandos calores et amoenitatem locorum plurimum conferunt salientes rivi, quos, si conditio loci patietur, perducendos⁵ in villam censeo. Sin⁶

¹ Vide n. 225, a. ² Vide n. 225, c. ³ Vide n. 222, c. ⁴ Vide n. 314, b.

⁵ Vide n. 339, a. ⁶ Vide n. 365.